



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Eustasius Abb. 29. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

206 VITÆ SANCTORUM. 29. Martij.  
humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. Ex *Vit. Uticen.*

*Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in aeternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Christianus, cui militare est id quod vivit seculo, non cogitat, ut pericula terrena otis caelestibus consoletur?*  
S. Pet. Chryf. serm. 54.

S. EUSTASIUS ABB. 29. Martij.

**C**olumbani discipulus fuit EUSTASIUS, ejusque in Luxoviensis Cœnobii præfecturâ successor. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum proliceret lacrimas, optimam semper peccantibus medicinam. Et si igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus restituit amissos. Has inter Burgundophora fuit Chagnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim desponsa; quæ cum postea, parente auctore, hominis thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitatum adulterium, &, ut patri dolerent oculi, filia suos eripuit. At EUSTASIUS primò patrem facinus suum videre, tum filiam etiam diem fecit. jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EUSTASIUM

29. Mart. VITÆ SANCTORUM. 207  
suum licet. Et tulit ille opera pretium  
suæ, non item Agrestinus, homo teme-  
rarius ac vafer, nihilque monachi præter  
nomen vestemque præ se ferens. Hic ma-  
lus in eum diem discipulus, religionis  
tamen magisterium affectavit, & cum  
minus ex sententiâ cederet, institit ma-  
gistrum EUSTASIUM totumque Co-  
lumbani gregem calumniis petere, eam-  
que in rem socios cogere. Sed ex his a-  
liis lupus, aliis fulmen, morbus aliis,  
ipsi Agrestino silentium securis imposuit  
à servulo impacta; cum eum non multo  
antè accusatorem expertus EUSTASIUS,  
ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic  
paulò post, prævisâ (quò minus timeret)  
morte, rectius accusaturus Magister dis-  
cipulum ingratum. Ex Suario.

*O si velimus omnem mentis nostræ para-  
lysin pervidere, animam nostram virtuti-  
bus destitutam jacere in vitiorum stratis  
videremus: luceret nobis quemadmodum  
Christus & nostras quotidie maximas res-  
picit voluntates, & ad salutaria nos re-  
media pertrahit & perurget invitos.*  
S. Pet. Chryf. serm. 50.

S. MECHTILDIS V. 29. Martij.

**C**eras alii avitas in MECHTILDE eas-  
que Principum & Imperatorum nu-  
merant; at nos virtutes, quas si non  
omnes enumerare poterimus, aliquas  
certè